

W.R. 52726.

B. M. II 490

De vītis ~~lūm~~ celebr. Mathemat. Ioh. Wull  
March. Hospitallū Jo. Chrph. Sturmii Et Jo. Huds

Q. D. B. V.

AD

# SOLENNEM PANEGYRIN,

Qua

Die proximo Saturni post horam octavam matutinam

## IX VIRI-JUVENES DOCTISSIMI

Honorum Academicorum primitiis,

Quas

## PRIMAM

In

# PHILOSOPHIA LAVREAM

VOCANT,

More consueto decorabuntur,

MAGNIFICUM ACADEMIÆ RECTOREM,  
UTRIUSQUE REIPUBLICÆ PROCERES ET  
ACADEMIÆ CIVES DECENTER INVITAT

FACULTATIS PHILOSOPHICÆ  
DECANUS.

10.

II n  
9470

SOLENNIS PANEGYRIN

AD

1790

IX. TITI. HABENS DOCUMENTA  
HABENT A M. A. D. P. B. T. C. T.

PRIMA

PHILOSOPHIA  
MAGISTERIA





Ulli facile Eruditorum generi magis frena  
nesta haec tenus fata fuere, quam Mathematicis,  
quorum principes quatuor, in  
Anglia *Joannes Wallisius*, in Gallia Mar-  
chio *Hospitalius*, *Joannes Christophorus*  
*Sturmius* in Germania, in Belgio *Joan-*  
*nnes Huddenius*, intra sex fere mensium  
spatium, mortem cum vita commutarunt. Et *Joannes* qui-  
dem *Wallisius* superiori anno Oxonii, die 28 Octobris, diem  
obiit, cum ætatis annum ageret octogesimum septimum: ut  
adeo non tam deploranda sit mors ejus, quam gratiæ agendæ  
Numini, quod Virum perficiendæ Mathesi natum tanto tem-  
pore terris indulgere voluerit. In Cantabrigiensi Academia  
bonis literis ac Mathematicis in primis scientiis imbutus, cum  
in Oxoniensem inde digressus esset, jam A. 1649 Geometriæ  
Professor Savilianus constitui meruit, illamque spartam ex eo  
tempore ad vitæ usque finem ita ornavit, ut summi Mathema-  
ticæ nomen famamque per Europam omnem dudum fuerit  
consecutus. Nec minus ornamentum illustrissimæ Societatis  
Regiæ Anglicanæ fuit, quam cum paucis aliis fundavit primi-  
tus, & per omnem postea vitam inventis ac observatis insigni-  
bus sustinuit. Sed de eo plura dicere non attinet, cum ex-  
asciatam Viri eruditionem amplissima luculentissimaque, quæ  
Orbi Erudito reliquit, opera, separatim olim, dein annis 1693,  
1695, 1699 junctim edita, & tribus spissis in folio, ut vocant, vo-  
luminibus comprehensa abunde testentur. Alterius vero ex

) ( 2

Qua-

Quatuorviris nostris obitus tanto acerbior Literato Orbi accidit, quod in ipso ætatis flore vivis fuerit eruptus ; de quo plurimæ dicenda nobis sunt, quod non æque ac Wallisius, cunctis nostratuum innotuerit. Est is Vir Illustrissimus, Marchio *Hospitatus*, Vice-Præses Academiæ Regiæ Scientiarum Gallicæ eminentissimus, qui d. 2 Febr. anni currentis ad meliorem vitam transmigravit. Is jam per integrum Januarium mensem elanguerat, febri corruptus nullatenus quidem decretoria, sed quam pridie mortis diei apoplexia excepit, in paralysin totius lateris sinistri desinens. Insequenti die, circa horam X matutinam, loquela destitui visus est, omniumque sensuum officio paulatim carere, usque ad VI vespertinam, qua spiritum reddidit, cum annos tres solum ultra quadraginta numeraret. De vita ejus, quam Viri cuiusdam nobis amicissimi humanitati debemus, pauca adjicere lubet. Acceperat eam parentibus Anna II Hospitalio, Comite S. Mesmii &c. Primocerio Magistrorum Stabuli Gastonis Aurelianensium Ducis, & Elisabetha, Claudi Gobelini Consiliarii Status Ordinarii, Magistri libellorum supplicum ac Quæstoris in exercitu Regis filia. In pueritia sua duos habuit Præceptores, quorum alter Mathematicis disciplinis operam locaturus libros hujus generis nonnullos sibi comparaverat, quibus Nostro quoque ardentissima versus studia hæcce propensio obvenit, ita ut mortuo illo non cesaret, assidua eos evolvere manu. Cujus instituti successus fuit tam insignis, ut alter Præceptor, licet homo minime truncus, cum illis deliciis animum pariter appelleret, attingere ipsum haud valeret. Noster etenim, nullo præeunte Magistro, totum Mathematum campum feliciter emetiebatur ; hinc accidit, ut cum annos circiter XV natus apud Ducem Rohanni forte esset, Problema Pascalii de Rotula, ( incertum quodnam ) resolvendum aggredieretur, & cum applausu etiam expidiret, mirantibus Celeberrimo Arnaldo, aliisque qui juvenilem temeritatem initio taxaverant. Ab ab tempore unice in

in pulvere Mathematico desudavit, & nec fastidiosa aulæ sollicitudine nec militaribus functionibus inde se avelli unquam passus est, ut & in tentorio suo curam ei impenderit. Capitanei munus aliquandiu gessit in cohorte equitum prætoria, quod tamen abdicavit, propter debilitatem oculorum, qua valde laborabat, ut vexillum videre, aut homines ab altera compiti parte ipsum salutantes discernere potis non esset. Missis itaque castris, Mathematicas scientias noctes diesque tractare cœpit, sed intemperantius quam valetudo imbecillis permittebat. Fama siquidem est, eum fata sua vivendi ratione præcipitasse. Sane quanta fuerit ejus in hoc studio assiduitas, vel exinde dignoscere licet, quod cum propter frequentiores capitis dolores atque insomnia otium sibi imperare vellet, ultra quatriuum tamen nunquam a solitis lucubrationibus abstinuerit. Id agendo ad summa penetravit, atque excellentissimus ævi nostri Geometra consensu omnium evasit, prout apparet e felici tot Problematum, tum in Actis nostris, tum alibi propositorum Analysis, quibus enodandis pauci Mathematicorum vel primi ordinis suffecere. Quod non porro judicii acumen, quam invidendum cognitionis thesaurum non prodidit liber ejus de *Analis infinite parvorum vulgatus*? In quo viam ad intimos Geometriae recessus monstravit, suppeditando singulis Geometris tot facillimas Methodos, quot propositiones continet. Præ manibus habebat opus elaboratum ad mentem Geometriae Cartesii, sed magis absolutum & vafioris argumenti, quod pæne ad finem perductum, paucis ante excessum diebus affirmabat. Optandum igitur quam maxime foret, ut illud, quali quali demum facie ornatum, in publicam emitteretur lucem, siquidem & fragmentis Viri adeo illustris statuendum pretium. Uxorem duxerat Mariam Charlottam de Rommilley de la Chesnelaye, nunc viduam, e qua gnatum unicum & tres filias reliquit. Nomen vero & titulus ipsi erant: *Wilhelmus Franciscus Hospitalius, Eques, Marchio S. Messis*

mij

miū & Montelerii, Comes Aubremontii, Dominus d' Ongues, la  
Chaise, le Beau aliorumque locorum. Familiam ipsam quod at-  
tinget, fertur ea a Gallucciorum in Neapolitanō Regno stem-  
mate perquam nobili descendere, cuius propago fuerit Al-  
phonsus quidam, qui a Dynastia Hospitalii, in Principatu ulte-  
riori sita, cognomen sibi adsciventerit, atque a Carolo II R. Neapol.  
A. 1308 gratiam mercatus ostendit ibidem instituendi im-  
petraverit. Ejus e filio Friderico, regia affinitate claro, nepos  
Johannes in Gallia fortunarum sedem stabilivisse, atque Hospi-  
talios, quotquot ibi jam degunt, prosevisse dicitur. Ceter-  
rum Hospitalii dominium penes Moniales a S. Annunciatione  
nuncupatas, quæ Neapoli vivunt, jam residet. Succedat Jo.  
Christophorus Sturmius, Germaniae nostræ decus ac ornamen-  
tum, qui annos octo & sexaginta natus, postquam primum Dei-  
ningæ Rhætorum Pastoris Ecclesiæ munere per quinquennium  
functus esset, posteaque in Illustri Academia Altorsina per an-  
nos triginta quatuor, Eclecticam philosophandi rationem se-  
cutus, Mathematicas Scientias & Physicam publice docuisse,  
anni proxime elapsi die 26 Decembris animam Deo reddidit.  
Ejus eruditionem, & in Mathesin in primis præclara merita, tot  
scripta loquuntur & schediasmata, quæ publici usus fecit, sum-  
mo etiam ab exteris cum applausu excepta, ut longe lateque  
famam nominis sui propagarit. Quæ quidem hic enume-  
rare supersedemus, cum eorum pleraque in Eruditorum Actis,  
quæ in hac urbe per mensium intervalla publicantur, fuerint re-  
censita, partim etiam integra exhibita. Jacturam vero tanti  
Viri eo æquiore ferimus animo, quod Filium reliquit Leon-  
hardum Christophorum, Mathematicis studiis a pueritia innu-  
tritus, eaque in Viadrina Illustri Academia publice hoc tem-  
pore profitentem, quem, quod in Patre amissimus, redditurum  
cum fœnore nulli dubitamus. Superest Joannes Huddenius,  
Consul, dum viveret, Reipublicæ Amstelodamensis gravissi-  
mus, mense proximo Aprili defunctus. Fuisse & illum insi-  
gnem

gnem Mathematicum, vel Epistolæ ejus de Reductione Aequationum & de Maximis ac Minimis, jam A. 1658 conscriptæ, & a Francisco a Schoten suis in Cartesii Geometriam commentariis annexæ, abunde comprobant. Ejus vero exemplo arguntur isti, qui ex Mathematicarum scientiarum profundiori studio morosos homines, & ad res gerendas administrandam ve Rempublicam ineptos reddi censem, cum didicisse fideliter Mathesin acuat potius ingenium, iudiciumque ad solidam prudenteriam civilem & soleritatem sapienter prospiciendi, quæ ex usu publico sint, quæ minus, & quibus mediis felicitas cuique civitati procuranda sint, instruat. Neque per subtiliores Mathematicorum meditationes vim spirituum animalium infringi ac labefactari, adeoque accelerari mortem ( quo prætextu solent quidam velare pigritiam, seque his studiis subducere ) uti Wallisi exempli jam supra patuit, quem octoginta & septem annos vixisse memoravimus, ita Huddenii quoque exemplo confirmatur, quem ipsum certum est octogenario majorem obiisse. Sed veniendum tandem ad rem est, cuius causa scriptiōnem hanc aggressi sumus. Cum nimirum Viri - juvenes novem.

I. Joannes Georgius Schneiderus,  
Leucopetra - Misnicus.

II. Mauritius Carol. Christian. Woog,  
Dahmensis-Saxo.

III. Gustavus Henricus Kelner,  
Lipsiensis.

IV. Joannes Christophorus Bauer,  
Moelbinsis-Misnicus.

V.

VD 18

QK Th 9410 x3047736

V. Carolus Gothofredus Zapfius,  
Cizensis.

VI. Bernardus Gottlieb Rosman,  
Marckroelitio- Thuringus.

VII. David Ebersbach,  
Suidnicio-Silesius.

VIII. Melchior Schäfer,  
Lauba-Lusatus.

IX. Joannes Jacobus Liebenvald,  
Landshuta-Silesius.

ut primitis honorum Academicorum, quas Baccalaureatus nomine designamus, publice ornarentur, a Facultate Philosophica modeste petiissent, Facultas, postquam profectus illorum in studiis Philosophicis consueto examine explorasset, minime que deprehendisset contemnendos, non potuit non honestis eorum desideriis annuere. Cui solennitati, die proximo Saturni post horam octavam matutinam peragenda, ut Magnificus Academiae Rector, utriusque Reipublicae Proceres atque Cives Academicci, praesentia sua majus decus concilient, etiam atque etiam rogamus. P. P. Dominica Exaudi,

A. M DCC IV.

---

Typis FLEISCHERIANIS.

B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta


Red

Yellow

Green

Cyan

Blue



Q.R. 52726.

B. M. II 490

De vita ~~bus~~ celeb. Mathemat. Ioseph. Wull  
March. Hospitalii Jo. Chrph. Stumai Et Jo. Huds

Q. D. B. V.

II n  
9470

AD

# SOLENNEM PANEGYRIN,

Qua

Die proximo Saturni post horam octavam matutinam

## IX VIRI-JUVENES DOCTISSIMI

Honorum Academicorum primitiis,

Quas

# PRIMAM In. PHILOSOPHIA LAVREAM VOCANT,

More consueto decorabuntur,

MAGNIFICUM ACADEMIÆ RECTOREM,  
UTRIUSQUE REIPUBLICÆ PROCERES ET  
ACADEMIÆ CIVES DECENTER INVITAT

FACULTATIS PHILOSOPHICÆ  
DECANUS.

10.